

TEMLV M.
FORTVNÆ. PRIMIGENIÆ.
 SACRVM.
 VIRO. MAGNIFICO.
JACOBO. BORNIO.
 J C T O.

AVGVSTISSIMI. AC. POTENTISSIMI. REGIS.
 POLONIÆ. ET. ELECT. SAXONIÆ. IN. SVMMO.
 PROVOCATIONVM. CONSILIO. A. CONSILIIS.
 SVPREMÆ. CVRIÆ. PROVINCIALIS. ET.
 SCABINATVS. ADSESSORI.

REIP. LIPSIENSIS. CONSVLI.
 TEMPLI. AC. SCHOLÆ. NICOL. ANTISTITI.
 GRAVISSIMO,

PARENTI. OMNI. PIETATIS.
 ET. OBSEQVIL. CVLTV.
 VENERANDO.

FASCES. CONSVLARES.
 GRATVLATVRVS
 DESCRIPTI.

JACOBVS. HENRICVS. BORNIUS.
 LIPSIENSIS.

LIPSIÆ.
 LITERIS. BREITKOPFIANIS.
 MDCCXXIX.

LIBRARIJ
HISTORICÆ PRÆMIUM
SACRA
ARTE MAGNETICO
ACORDO.BORNI.



PARTITI. ODE. HISTATIS
ET OPERAKS CLETA

EVOCES. CONSALVER

GRATIATULLAS

JACOBÆ HENRICÆ BORNIÆ

LIPSIÆ

LIBRARIJ. BRUNNEN

MECEXXII



VIR MAGNIFICE,

PARENS OMNI PIETATIS ET OB-
SEQVII CVLTV VENERANDE,



Lluxit tandem faustis lae-
tisque auspiciis iste dies,
quo Fortunas TVAS, imo
potius divinam de TE pro-
videntiam (a) pia mente
agnoscere, summis laudi-
bus efferre, gratamque
Deo O. M. mentem decla-
rare debeo. Hic enim

TIBI, CARISSIME PARENS, alter quasi Natalis (b)
est,

2

(a) Veteres Gentilium Philosophi, qui paulo rectius sapere videbantur, per Fortunam nihil aliud intelligebant, quam divinam, quae omnia regit, providentiam. Vid. GVLIELMVS DV CHOUL Tr. de Religione Romanorum p. 182.

(b) NATALIS non solum dicitur iste dies, quo in lucem edimur, sed ille quoque, quo ad dignitates evelhimur. Sic CICERO ad Quir. p. Red.

est, quo PATRIAE CONSVLIS ornatus dignitate renasceris, omnium verorum bonorum occasionem, pro civium & Reipublicæ salute dispensandorum amplificandorum, favente Numine, consecutus. Quae beneficia, quo largiori in te manu contulit Deus, eo demissiori animo illum bonorum fontem fas est venerari. Id quod rectius omnino nos Christiani faciemus, quam priscæ gentes, qui ad PRIMIGENIAM FORTVNAM honorum dignitatumque accessiones (c) referebant. Erat Fortuna Dea multis apud Veteres nominibus culta. Inter varia autem & pene innumera ejus cognomina, *Aureæ*, (d) *Equestris*, (e) *Prænestinae* (f) ac PRIMIGENIAE FORTVNAE nomina sunt illustrissima: ex quibus ultimæ memoriā nunc boni ominis causa brevibus repetere licet. Hanc, inquam, Romani, ut DIO CASSIVS (g) refert, coluerunt, utpote, que omnia ante oculos & post se posita cernat, atque expendat, moneatque debere unumquemque meminisse, a quibus parentibus natus & qualis ipse fit. Derivationem FORTVNÆ hujus PRIMIGENIÆ varie ducunt & explicant eruditæ, & adhuc inter eos lis est, quænam probabilior sit

&

c. 2. diem sui Consolatur vocat NATALEM: vid. Not. Gravvii. Sic CAPITOLINVS vit. Spart. diem, quo Spartanus imperiū ingressus est, NATALEM dixit. Quem loquendi morem Medii quoque Ævi Latinitas servavit, teste SANGIO in Gloss. Mediæ Ævi T. II. p. 723.

(c) Vid. PHIL. OLEARII Diff. de Fort. Pop. Rom. §. X. p. 22.

(d) Colebatur AVREA FORTVNA in cubiculis Regis & magistrorum Regi totique provincie salutem afferre existinabatur. GYRALDVS in Synè. Deor. XV.

(e) EQUESTRIS ædem vovit Fulvius Flaccus Dux Romanorum in ancipiiti cum Cætiberis prælió. vid. LIVIUS H. R. L. XL. c. 40. Adde ROSINI Ant. Rom. L. II. c. 16. p. 157. (ed. Traj. 1701.)

& genuina. Alii enim cum PLVTARCHO (b) pūtant, nomen a primis urbis Romanae initiis originem traxisse; Alii cum CICERONE (i) tantum a gignendo dictam fuisse volunt; Alii cum BOXHORNIO (k) nomen inde accepisse ferunt, quod omnium prima Romae fuerit culta. Sed nulla harum opinorum videtur approbanda, licet Clarissimorum hominum nitantur auctoritate; & potius illa BURMANI (l) præferenda, qui hoc Fortunae nomen primus fuisse inditum credit a Servio Tullo, qui ex serva natus FORTUNAE munere PRIMUS gentis suæ ad amplissimos honores, i.e. regnum venerat. Hic ergo, (si PLVTARCHO (m) credimus,) primus PRIMIGENIAE FORVNÆ templum condidit & fundamenta posuit superstitioni, a posteris paulatim ampliandæ. Nam non solum novi homines, qualis Servius erat, sed generosis orti familiis, qui vel publicis muneribus ad moveri primum volebant, vel ad maiores honores adspirabant, ædes arasque huic Deæ vovisse leguntur. Ita Q. Marcius Ralla, cum Duumvir esset creatus, Deae huic templum in colle Quirinali, sine dubio ex voto, dedicavit (n). Hujus

3

facit

(f) Huic templum exstruxit S. Flavius Domitianus, cum Imperium ejus satis esset beatum, uti resert SVETONIVS in vita c.XV. §. 5. Conf. not. PITISCI.

(g) Hist. Rom. L. XLII. p. 197. A. (ed. Steph.) ad hanc explicationem Cassii NEAPOLITANVS Nafonis INTERPRES ad L. IV. Fast. v. 375. exclamat admirabundus: Ecce! quanta sit unius vocule dñe-
ραστιλορυτε. (h) Qu. Rom. p. 69. (ed. Lugd. 1637.)

(i) Lib. II. de Leg. c. II. vid. not. Turnebi.

(k) Qu. Rom. p. 24. (ed. Lugd. 1637.)

(l) ad OVID. Fast. L. V. v. 729. sq.

(m) Qu. Rom. T. II. p. 281. (ed. Sylburg.)

(n) LIV. H. R. L. XXXIV. c. 53.

• facit mentionem OVIDIUS (o):

Qui dicet, quondam sacrata est COLLE QVIRINI

Hac FORTUNA die PUBLICA, verus erit.

Quo respicit etiam illud monumentum antiquum (p):

Q. R. C. F.

FORT. PVBL. PR. IN. COLL.

Porro L. Rufinus cum Ædilis Curulis deligi vellet,
FORTVNÆ PRIMIGENIÆ Aram vovit, votumque
postea solvit, uti docet apud GRVTERVM (q) In-
scriptio:

FORTVNÆ

PRIMIGENIAE

Q. RUFINVS.

ÆDIL. CURVL.

V. S

Sic C. Valerius & Mendolutius Martianus cum curi-
is muneribus præesse cuperent, Fortunæ nostræ a-
ram voverunt, votique compotes facti dedicarunt.
Id quod ex sequenti constat marmore apud GRV-
TERVM (r):

D. FORTVNÆ. PRIMIGENIÆ.

C. VALERIO. C. F. MENDOLVTIO.

MARTIANO. VI. VIR. AVG.

DEC. OMNIBVS. HONORIBVS.

CVRIIS MVNERIBVS. FVNCTO.

VALERIA. SATVRNINA. PATRI.

L. D. D. D.

Sic Antistius cum Augur deligi vellet, yovit, jamque
dele-

(o) OVIDIUS c.l. Celebratum fuit festum ejus VIII. Kal. Junii, vid.
not. BVRMANNI ad h.l. repugnantibus Viris Clarissimis THOMA
DEMPSTERO, PETRO GASSENDO, ADRIANO IVNIO
aliisque, quorum opuscula vid. apud IO. GEORG. GRAEVIVM Thes.
Antiqu. Rom. T. IIX.

(p) vid. Kalend. Ant. Inscript. vet. p. CXXXV. citante BVRMANNO ad

delectus basin posuit apud eundem GRVTERVM^(q):

L. ANTISTIVS.

C. F. ÆM. ELECTVS.

AVGVR.

FORTVN. PRIMIG.

EX. VOTO SVSCEPTO.

Neque vero solum FORTVNA PRIMIGENIA ad consequendas dignitates valere ac prodeesse, sed & fæcunditati ac proventibus agrorum favere credebatur. Quo spectat elegans apud (t) AVGUSTINVM Nummus, quem L.B. offerre libet:



Habet ibi FORTVNA Plutum Divitiarum Deum in gremio cum verbis, anni temporisque felicitatem, messium copiam & rerum humanarum insignia incrementa exprimentibus (u). Illud autem in primis mihi admirandum videtur, FORTVNAM PRIMIGENIAM JOVI OPT. MAX. adjungi, quod iste GYRALDI versus docet:

Tu quoque FORTVNA coleris vicina TONANTI.
Quapropter Primigenius SVMMO JOVI unaque no-
stræ

OVID. Faſt. L. IV. v. 375.

(q) GRVTERVS Theſ. Inſcript. T. I. p. 76. (ed. Gravitz)

(r) IDEM l.c.

(s) Ibid.

(t) Theſ. Numism. Tab. LXII. vide Explicationem AVGUSTINI, huic Tab. adjectam.

(u) BLANCHINVS Tr. de Calendario & Cyrolo Iuli Cesaris p. 47.

stræ Deæ aram marmoream exstruxit cum Inscrip-
tione (x):

JOVI. O. M. E.T.
FORTVNÆ. PRIMIGENIAE.

V. S. A. L.
L. PRIMIGENIUS.

CVM
FILIO. TORQVATO.
D. D.

Fida enim custos & comes fuit FORTUNA JOVIS PVERI PRIMIGENIA, ut in antiquis monumen-
tis appellatur, quippe quæ *Jovi in lucem nato adstitit ope præsentissima*. Nemo sane ignorat, quantis in periculis mox a nativitate sua, cum pater Saturnus eum devorare voluisse, & in pueritia deinde fuerit versatus; ex quibus tamen omnibus fatorum providentia & præfertim FORTVNÆ, de qua loquor, auxilio felicissime tandem emersit. Id quod duæ satis docent Inscriptiones, quarum unam recitat

PITISCVS (y):

FORTVNÆ.

JOVIS. PVERI.

PRIMIGENIAE.

D. D.

EX.

(x) GRYTERVS *Theſ. Inſcr.* ed. GRAEVII T. I. p. 75. Non autem solum IOVI. O.M. sed & VENERI adjungi ſoleat FORTVNÆ noſtra, teſte GRYTERO p. XXVI. & SELDEN O Synt. de Gad ſeu Fortuna §. 1.

VENERI. ET.
FORTVN. PRIMIG.
SACRVM.
L. CALVIVS. L. F.

(y) Lex. Ant. Rom. T.I. p. 820.

(z) In Synt. de Gad ſeu Fortuna §. I Op. Lond. ed. T. II. p. 75.

(aa) Lex sub h. v.

(bb) Rechte FORTVNÆ PRIMIGENIAE non OPI & FORTVNÆ,
utti vult FONTEIVS de antiqua Caſitorum gente L. II. c. 5. Favet illi

EX. SORTE. COMPOS.
FACTVS.
NOTHVS. RVPICANÆ.
L. P. PLOTILLE.

Alteram SELDENVS (z):

FORTVNÆ.

PRIMIGENIÆ.

JOVI. PVERO.

EX. TESTAMENTO.

TIBERIAE.

SYMPHERVSÆ.

P. ANNIVS. HERMA.

HERES.

L. D. D. D.

Ex qua ratione factum credo, quod NATALEM PRIMIGENIAM finixerint Veteres, cuius mentio extat apud Cl. HOFFMANNVM (aa). Nam cum Fortuna illa fidissimam operam præstisset JOVI Puerō, eam quoque omnia regere puerorum fata existimarent, imo & illius effigiem, natō Principe, in Capitolio posuerunt. Quid? quod etiam potestatem ac vim ejus ad salutem Imperii pertinere crediderint, quemadmodum Pertinacem accepimus, FORTVNÆ nostræ PRIMIGENIÆ templum exstruxisse, quasi restituta imperii salute (bb). Ut omittam, Qv. Sempronius

antiquis ille Nummus, quem Lectori hic sistimus. Inveniendus est apud PATINVM Fam. Rom. T. II. p. m. 270.



pronium Consulem, ancipiit cum Pœnis prælio dimicantem, eidem DÆ templum vovisse (cc): Itemque *Legiones* quasdam sub ejus tutela fuisse, quibus nomen erat PRIMOGENIARVM (dd). Sed facessat Gentilium supersticio; valeat Roma religionibus variis immersa; valeat fabulosa Deæ hujus memoria! Ego potius recordor officii, quod hujus diei me obire jubet solemnitas. Cum enim ad TE, PARENTS
OPTIME, DEMISSISSIMAE PIETATIS CVLTIV
VENERANDE, non FORTVNAE illius PRIMIGENIAE
sed summi Numinis, quod honores largitur ac dispensat, favore, Amplissimique Senatus consensu, Fasces Reipublicæ Patriæ Tibi sint demandati, memor paterni amoris ac tot beneficiorum, non potui non, sub ipsis muneric amplissimi auspiciis gaudere, gaudiumque Tibi meum his paginis pro ingenii viribus exponere, votaque pro Tua incolumitate ac prosperrimo Regiuninis successu nuncupare. Faxit Deus O. M. ut illud munus, quod Vir Illustris, Magnificus memoriaque sempiterna dignissimus ABRAHAMVS CHRISTOPHORVS PLAZIVS, JCtus summus, ex hac vita Numinis iussu evocatus, non sine totius civitatis lacrymis depositus, quodque Respublica **TIBI** demandavit, eadem prudentia, felicitate,
vigo-

nec illa GRVTERI *Inscriptio* apud GRAEVIVM T. I. p. xvvi. ab ejus sententia est aliena:

OPL DIVINAE.

ET. FORTVNAE. PRIMIGENIAE. SACRVM.
IMP. CAES. HELVIL. PERTINACIS. AVGVSTI. &c.
sed BVRMANNVS, vir in hoc studio versatissimus, haec omnia esse falsissima argumentis firmissimis probat, dum & Nummum & Inscriptionem aliter explicat, quam FONTEIVS. C. L.
(cc) Hujus templi mentionem inicit LIVIVS Hist. Rom. L. XXIX. c. 35.

vigore ac mentis corporisque alacritate geras & ad-
ministres, ejusque virtutem ac laboris fructum Pa-
triae serves! Adspiret favore cœlesti Tuis curis atque
consiliis, quæ AVGUSTISSIMO REGI, Senatu
atque Populo Lipsiensi sunt consecrata; Adsit Tuis cœ-
ptis gravissimis eaque semper ad eventum prosperri-
mum perducat. Cumque tanta hodie multitudo
civium atque clientum, pia vota pro Tua salute fun-
dendent, lætisque gratulationibus pro ejusdem
perennitate certantium, ad TE accedat; meum et-
iam esse existimavi, piam, lætam & obstrictissimam
mentem privatim non solum, sed publicis hisce quo-
que litteris TIBI declarare. Satis enim recordor,
pro quantis beneficiis quantas grates TIBI, PARENTIS
INDULGENTISSIME, debeam. Insignis profecto est
illa benignitas, qua me ab incunabulis complexus fo-
visti imo cumulasti. Stupet animus ista liberalitate,
qua meis qualibuscumque litterulis semper prospexi-
sti. Lætor itaque & exulto tam CHARI PARENTIS
munificentia ac patrocinio, FONTEMQUE illum uber-
rimum liberalitatis paternæ coronis ac floribus (ee),
i.e. decentissima pietate gratiarumque actione de-
corabo. Non TE Fortuna Primigenia, Idolum ve-
teris Romæ, sed summi Numinis gratia ad summas
in

(dd) Id quod appetet ex quodam AVGUSTINI nummo, quem evol-
ve in *Theb. Numism.* T. VIII. explicatione hujus Tabule prius adhibita.

(ee) Fontes apud antiquas gentes sacri erant adeoque divinitatis honore
colebantur, ut Genios & Numina iis tribuerent. SENECA ep. XLI.
p.m. 142. In eorum honorem *Fontanalia* celebrabantur, quo die &
in fontes coronas jaciebant & puteos coronabant. VARRO L.V. F.E.
STVS L.VI. p.m. 41. SIBRAND. SICCAMA in *Festis Kalendar.* c. XVI.
apud GRAEVIVM *Theb. Ant. Rom.* T. VIII. p. 77. A.

in patria Republica dignitates evexit: Cujus nomen
venerari, cuius benignitatem sempiternis laudibus
celebrare non intermittam. Servet ille diu REGEM
AVGVSTISSIMVM, Orbis Delicias, PATRIÆ PA-
TREM, det illi viridem & votis omnibus florentem
senectutem! Servet Amplissimum Ordinem Sena-
tus Lipsiensis: totamque Rempublicam omnis ge-
neris felicitate cumulet! Servet TE civitati, quæ
TVO Nomine lætatur! Servet TE familiæ, cuius
salus Tua salute nititur! Servet denique TE mihi,
Musarum mearum statorem, dulce decus certissi-
mumque præsidium! Habes, PARENTS OPTI-
ME, votorum meorum summam, quæ sincera
pietas magis, quam elegantior Musa peperit. Da-
bis veniam, si qua minus recte minusque pro digni-
tate argumenti ac hujus diei solemnitate scripserim.
Incaluit animus juvenilis ardore votorum, iisque
unice occupatus scribentis calamum præcucurrit,
stylique ornamenta minus curavit. VALE! TVO
que PATERNO FAVORI me habeas porro
quam commendatissimum.

VALE!



40
TEMLV.M.


FORTVNÆ. PRIMIGENIAE.

SACRVM.

VIRO. MAGNIFICO.

JACOBO.BORNIO.
J C T O.

AVGVSTISSIMI. AC. POTENTISSIMI. REGIS.
POLONIÆ. ET. ELECT. SAXONIÆ. IN. SVMMO.
PROVOCATIONVM. CONSILIO. A. CONSILIIS.
SVPREMÆ. CVRIÆ. PROVINCIALIS. ET.
SCABINATVS. ADSESSORI.



Staatsbibliothek
zu Berlin
Preußischer Kulturbesitz